

his, in quorum finibus metalla talium bonorum subterraneorum exercentur, dantque aditum ad illam partem naturae et artis cognoscendam; in his nobis, quibus nascendi forte contigit patria, variis metallorum exercendorum generibus a multis seculis et beata et nobilis. Nam ut nihil de nobilitate patriae dicam ab ea quoque re nata; quantam partem bonorum suorum metallis debet? quot vrbes, etiam melius ceteris publice priuatimque aedificatas? Quam multos olim locupletarunt, a quorum copiis nunc etiam reliquiae sunt quaedam ad vsum Ecclesiae, Scholarum, ad necessitates pauperum subleuandas? Quam multis etiam nunc profunt ad rem augendam? quam multis vel necessarium vel etiam liberalem sumtum vitae praebent? Verbo, quam bona pars publicae, et his terris propriae vtilitatis, metallica re continetur?

Nec vero populares nostri segnes ad haec cognoscendi studia fuere; immo inde quoque ingenii Saxonici gloria vel nata, vel aucta est apud populos, ingenii et doctrinae cultu claros, et qui de ingeniis hominum et doctrina recte iudicare didicissent. Etenim, quam quondam Romano ingenio laudem propriam adseruit *Plinius* ille, naturae scrutator et historicus, quod primus omnium de re metallica et rebus subterraneis ita scripsit, ut operae pretium fecerit; eam posterioribus seculis Saxonico parauit *Georgius* ille *Agricola*, inter principes ingenii Saxonici numerandus, scriptis libris eiusdem argumenti pluribus, per quos ille tum volitauit per ora virorum doctorum, et Principum gratia floruit, nunc paucis, et nonnisi doctissimis, ultra nomen notus. Nam is, seculis nostrae aetati propinquis, primus Germanorum et Saxonum, immo omnium, de iis rebus bene scripsit *), ita scripsit, ut illam Plinianam in eo genere laudem et gloriam longe longeque superarit. Etenim et maiorem et difficiliorem materiam scribendi amplexus est, et haud paullo meliori latine scribendi genere eas res est persecutus:

* 3

quippe

*) *Mich. Mercatus* in *Metalloth. Vatic. praef. p. LVI.* Auctores, ut debui, laudaui; inter quos ex recentioribus *Georgium Agricolam*, quem longe omnibus in hoc genere antecellere existimaui. *Thuani* et aliorum similia testimonia sunt apud *Adamum* in *Vitis Medicorum.*